

ut infidelitas fidem) tractabitur in materia de charitate 2-2, quaestione XXIV, actus vero infusus posse diminui, et remissiores habitu esse constat, quia non dependent a solo habitu, sed ab auxilio Dei, et conatu potentiæ, et ista non semper sunt in gradu intensiori.

QUÆSTIO LV.

DE VIRTUTIBUS QUANTUM AD SUAS ESSENTIAS.

SUMMA LITTERÆ.

Quid D. Thomas consideret circa virtutes, et quomodo tractatum illarum dividat diximus in primo tomo, prima parte agentes de connexionione eorum, quæ D. Thomas tractat in hac summa. In præsentia agit de essentia virtutis in communi, discurrens per genus ejus, et differentiam, ut inde eliciat integram definitionem virtutis.

Sic ergo in articulo primo ostendit virtutem esse habitum (quod pertinet ad rationem ejus communem, et genericam) quia in potentiis quæ naturaliter non sunt determinatæ ad unum, id quod eas determinat, et disponit ad actus dicitur habitus. Et quia virtus est ultimum potentiæ, virtus erit habitus, quia ultimum est determinativum ejus.

In articulo secundo determinat, quod virtus est habitus operativus (quod pertinet ad differentiam magis contrahentem) ad differentiam earum dispositionum quæ sunt ad esse, et non ad operari, quia in præsentia agimus de virtutibus, quæ disponunt potentias racionales operativas in ordine ad suam propriam perfectionem et actum, qui est operari. Et sic oportet quod virtus rationalis sit habitus operativus.

In articulo tertio ostendit, quod virtus est habitus bonus (quod pertinet adhuc ad magis contrariam differentiam) quia virtus importat ultimum, et perfectum potentiæ, et sic virtus opponitur infirmo, et defectuoso. Quod ergo est virtus potentiæ est perfectum, et ultimum illius, ergo bonum, seu non defectuosum.

In articulo quarto, colligit ex dictis definitionem virtutis, quam tradit Augustinus II de libero arbitrio: « Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur. » Et si definiatur virtus infusa, additur illa particula: Quam Deus in nobis sine nobis operatur. Et sic comprehendit omnes causas virtutis: formalem dicendo: Quod est bona qualitatis: materialem, seu subjectivam in ly mentis: finalem, quæ est operatio dicendo: Qua recte vivitur: efficientem dicendo: Quod est a Deo. Objectiva autem non ponitur, quia hæc dat speciem, hic autem definitur virtus in genere.

QUÆSTIO LVI.

DE SUBJECTO VIRTUTIS.

SUMMA LITTERÆ.

Discurrit D. Thomas per omnes potentias, quæ possunt esse capaces virtutis, et ejus subjectum. Et ideo in primo articulo præsupponit virtutem de qua agimus in præsentia, esse in potentia tamquam in subjecto,